# DE LAUDIBUS
# LEONIS XII·PONT·MAX·
## ORATIO

HABITA

*A D. PAULO DELSIGNORE ROMANO*

CANONICORUM REGULARIUM LATERANEN. ABBATE

HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSORE

CUM PARENTALIA TANTO PONTIFICI PERSOLVERENTUR

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO IV. NONAS APRILES

ANNO MDCCCXXIX.



ROMAE 1829 APUD BERNARDINUM OLIVERIUM.
Typographum Archigymnasii Romani.
Facta a Præsidibus Potestate.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

# PETRO FRANCISCO GALLEFFIO

CARDINALI EPISCOPO ALBANENSI

S. R. E. CAMERARIO

ARCHI-CANCELLARIO ARCHIGYMNASII ROMANI

&c. &c. &c.

*D. PAULUS DELSIGNORE.*

*Cum id mihi haud tale cogitanti jucundissimum acciderit, ut dum Parentalia in Romano Archigymnasio LEONI XII. P. O. M. persolverentur, et in frequenti ac spectatissimo doctorum virorum consessu fu-*

*nebri Oratione præclara ejus gesta commemorarem, me inopinato ornatum Tua præsentia viderem, et a singulari benignitate Tua laudari meruerim; oportebat sane ut aliquo modo et Tibi, Princeps Eminentissime agerem gratias, et publico testimonio significarem quantum Tibi debeam, quantique erga me Tuam fecerim humanitatem. Angebar autem animo, mihi imparato eam facilem obviamque defuisse eloquentiæ vim, quæ opportuna, necessaria immo fuisset, ut abrupto Orationis ordine ad Te sermonem converterem, Teque a LEONE XII. huic Archigymnasio Archi-Cancellarii munere sapientissimo consilio præpositum prædicarem. Verebar item, ne silentii huius causa in suspicionem aliquibus venire posset, me vel virtutum tuarum magnitudinem adhuc non persentire, vel impune eas præteriri posse existimare. Nec equidem tantam inconsideratæ mentis notam a me depellere potuissem, nisi Amplissimus Præsul Virgilius Pescetellius Archigymnasii Rector, qui Orationem hanc a me habendam jusserat, pro ea qua*

*me prosequitur benevolentia typis edi voluisset, et Tu, Princeps Eminentissime, ut eam tibi nuncuparem permisisses. Nec ulli melius quam Tibi hæc debebatur Oratio: Tibi, inquam, quem Clarissimum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Senatorem non opes faciunt, non vestis tyriæ color, non gravissima quae Tibi a Romanis Pontificibus demandata sunt munera, sed virtutes quibus ornaris, sed animi suavitas, qua omnium corda Tibi devincis, sed sollicitudo maxima summa cum rerum pertractandarum peritia, qua veluti Archigymnasii Archi-Cancellarius diligentissime curas, ut quae in LEONIS XII. Constitutione praecipiuntur accurate serventur, ut Collegiorum et Professorum sarta tecta sint jura, ut optimo judicio Tuo praemia et Academici gradus solertioribus ac dignioribus decernantur. Tuum itaque est quidquid ad Archigymnasium pertinet, ad cujus dignitatem splendorem incrementum solertissime intendis. Tibi igitur, Princeps Eminentissime, hanc ipsam quam Te coram Orationem habui, et mansuetudini Tuae offero*

*legendam : ratus , me Tibi rem non ingratam facturum , si quod semel auditum quasi eminus placuerat , cominus legendum atque habendum tradidissem . Tu hoc tandem qualecumque ingenii mei specimen , ut ea qua soles humanitate aequi bonique facias rogo , et me Tibi mancipatum clientela Tua ac patrocinio tuearis .*

Quod a DEO OPTIMO MAXIMO precabamur, ut diuturniori quoad fieri posset Imperio LEO XII. Pontifex Maximus haud firmæ licet valetudinis frueretur, id pro voto nobis non cessisse misero quodam fato nuperrime condoluimus. Eum enim Ecclesiæ, Eum Pontificiæ regioni, Eum nobis præcipue nobis ademtum inopinato vidimus: & dum Ejus cohonestabamur præsentia, dum rebus ille prospiciebat nostris, summa dum urgebatur sollicitudine, ut omnium bono prospiceret Parente optimo, Principe consultissimo, electissimo Pastore nos orbatos sentimus. Et si Supremus Reipublicæ moderator, qui DEO gratus, & ex ejus animi sententia sit, publicæ felicitatis firmamentum est, grande decus, firmissimum columen, eo orbari inter ea certe recenseri debet adversa fata, quæ lacrymis magis quam dicendi facundia possunt demonstrari. Et tamen lugubris hæc pompa funeris, feralia hæc diræ mortis trophæa, amplissimus hic doctorum virorum consessus oculis vultuque a me postulant, ut in doloris saltem solatium de LEONIS XII. Pontificis Maximi laudibus dicam, & quæ ab eo præclare sunt gesta oratione complectar. Amplissimum dicendi argumentum majorem profecto, Auditores, postularet eloquentiæ vim, quam ab homine in hoc Orationis genere haud satis versato expectare possitis. Ex his igitur potius, quæ in celebratissimo hoc scientiarum ac bonarum artium domicilio ad incrementum dignitatem splendorem ab eo sunt gesta, quæque in conspectum omnium erumpunt, laudationis argumentum desumam, & LEONEM XII. proponam demonstrandum ex summo li-

terarum ac bonarum artium patrocinio consultissimi Principis famam existimationemque sibi conciliasse. Hoc est in cujus contemplatione tota hæc mea versabitur oratio: quod rite si perpendatur, satis æternæ LEONIS XII. memoriæ, satis vobis, quos desiderium illius tenet, satis mihi, cui Ejus laudandi munus est demandatum, consuluisse arbitrabor.

Tyrannicæ potestatis proprium esset, quo facilius subjectæ gentes diro continerentur imperio, eas a scientiarum studio abstinere, easque in turpissimas ignorantiæ tenebras compellere; & haud satis gentis suæ bono prospiceret, ut opinor, qui in tanto scientiarum, ac optimarum artium incremento ac splendore vel Philosophicas, vel naturales rerum cognitiones negligeret, vel magis accommodatas in tradendis disciplinis methodos respueret, vel ea inventa recusaret amplecti, per quæ exteræ gentes tantum omnium ore laudantur, quantum quisque eas sequi ac imitari conatur.

Neutrum autem in LEONE XII. evenire poterat, Auditores. Ab ipso sapientissimo Naturæ Auctore bonam suavemque sortitus indolem, in optimis disciplinis versatus multorum hominum viderat mores, perpenderat instituta, utilitates & commoda inde in gentes derivatura perspexerat. Parentis affectu deinde auspicatus imperium tot tantaque illustria noverat Romanorum Pontificum exempla, qui scientiarum lucem, omnemque humanitatem in universum fere terrarum orbem invexerant: Leonis X. liberalitatem noverat, & incredibilem propemodum erga literarum studia animi propensionem; noverat tandem maximam, quam sibi conciliaverat gloriam in ævum duraturam PIUS VII., tum ob ejus præclara

facinora, tum ob ea quæ scientiis, artibus, & huic sacro omnigenæ cognitionis asylo bona contulerat. Hæc omnia probe noverat perspicacissimus Pontifex, & ut non solum tantorum Pontificum persequeretur vestigia, sed ut Pontificiæ regionis utilitati prospiceret statim ac Pontificiam sedem ascendit omnes animi curas intendit, ut vel commutaret in melius, vel statueret denuo, vel quæ a Prædecessoribus fuerant in literarum ac bonarum artium favorem statuta firmaret.

Cum autem asperrima ætate hac nostra in tanto scientiarum incremento plurimos vel Philosophicis doctrinis abuti, vel Politicorum deliramenta probare, vel in pravum detorquere sensum Scripturarum oracula in Christianorum doctrinæ, & Romanæ Ecclesiæ detrimentum videret Pontifex, tanto mederi malo, & commissi sibi gregis saluti consuli meliori ratione non posse existimavit, quam recta probataque studiorum methodo ducere juvenes ad eam germanam veritatis cognitionem, cujus ope nec omni vento circumferri possent doctrinæ, nec profanas amplecterentur vocum novitates, nec subdola Politicorum arte se decipi posse paterentur. Eam iccirco saluberrimam, sapientissimamque edidit Constitutionem, qua & recta studiorum ordinatio cum pietate conjungenda, & ab solo Sapientiæ initio Domini timore moderanda præscribitur in Pontificia ditione, & qua meliori in lumine scientiæ optimæque artes collocarentur, augerentur literarum cultores, diffunderetur veritas ubique, indeque subjectæ gentes felicitatem, Ecclesia præsidium, Urbs hæc famam, dignitatem apud exteras gentes, honorem florentissimo scientiarum statu invenirent.

Hinc novæ instituendæ sunt Doctorum virorum Cathedræ, quibus vel quæsitum Naturæ & Gentium jus stabiliatur, vel Ecclesiæ firmetur potestas, vel hujus Sedis Apostolicæ publica populorum consensione probata jura vindicentur? Eas instituit LEO. Veteribus aliæ sunt adjiciendæ, quæ vel novæ illi respondeant scientiarum divisioni, quam ceteræ Europæ Academiæ probarunt, vel ex mirificis naturæ detectis in dies operibus ad Deum hominum cogitatio erigatur? Eas adjunxit LEO. Naturalis historiæ Musæa vel domesticis, vel externis exemplaribus augenda sunt, ut experimento & peritia mens nostra, quantum ipsi licet, valeat naturæ arcana cognoscere? Et LEONEM summa liberalitate se pretiosissimis monumentis expoliare non piget, ut Musæa ditet & ornet. Academia ingenuarum artium aptiori indiget loco, ut monumenta imitationi proposita collocentur, habeantque hominum ingenia quo excolantur, quo Peritorum præceptis regantur, quo perficiantur consiliis? Et LEO hoc ipso in loco uno veluti nexu disciplinas artibus, & artes disciplinis nectit & jungit. Tenuia ac vilissima sunt Professorum stipendia, nec iis apta, ut sibi ad Cathedræ dignitatem regendam subsidia comparent? Et quod nunquam anteactis temporibus potuit impetrari a LEONE conceditur. Tandem censu Bibliotheca eget, quo opportunis instruatur codicibus, quo Botanicæ hortus abundet plantis, quo Musæa perficiantur, quo Clinicæ Scholæ vel incrementum accipiant, vel faciant publici juris quæ in morbis medendi arte observatione sunt digna, vel propositis præmiis juvenum animi excitentur? & rebus omnibus occurrit LEO.

Et quando, Auditores? Ut eligitur Pontifex. Quo vero tempore? Difficillimo profecto, & Aerarii publici inopiæ, & consiliis capessendis minime accommodato; dum scilicet ingentem minui Ministrorum numerum, resecari stipendia, providum firmari ubique œconomicum regimen decernebatur. Verum advertatur rei œconomicæ animus in omnibus, in scientiarum usum insumantur opes: minuantur stipendia ceteris, literarum & artium Professoribus augeantur: publica ministeria, & tenuiores fisci Officiales ad minorem numerum redigantur, Doctorum virorum Cathedræ crescant, quibus & subditorum animi ad omnem disciplinam informentur, excolantur, Civilis Respublica honorem, Religio præsidium inveniat.

Ut autem quæ sapientissime statuta sunt firmissima maneant, atque in disciplinis tradendis sarta tecta Religio sit, suprema studiorum moderatio in Academiis populorum curatoribus Episcopis traditur; Sacra instituitur Purpuratorum Patrum Congregatio, & ne quid desit, vel desiderari in LEONE possit, quod animi sui propensionem erga literas & bonas artes demonstret, Ipse dignitate summa cum comitate conjuncta Archigymnasium hoc ipsum ornat præsentia sua, nos alloquitur in solemni studiorum inauguratione, nos admonet, suavitate verborum non excitat, nos ad Religionem tuendam adjumento scientiarum impellit. Oh felicissimum diem, oh diem jucundissimum nobis, diem publico Principis beneficio signatum perpetuo commemorandum! Tuque Optime Princeps, dum diei hujus gloriam commemoramus, sine, ut inter beneficia nobis a Te collata illius resonet in ore nomen, qui tunc nostrorum animi sensuum fidus interpres Tibi reddidit gratias, BELISARIUM CRISTALDIUM

dico. Archigymnasium hoc Tuo moderabat nomine, Tibi acceptissimus, carus erat nobis & erit; & dum hujus loci parietes ipsi lætitia gestiebant cum inter Ecclesiæ Senatores amplissimos Eum numerasti, jam declararunt satis, quantum Archigymnasium hoc ipsum Viro Eminentissimo debeat, qui Tuum erga literas, & bonas artes amorem in loci hujus præsertim amplitudinem dignitatem splendorem convertere studiose curavit.

Nec LEONIS erga nos voluntas, Auditores, edita Constitutione cessavit, nec in literis patrocinandis studium in eo deferbuit; immo ex eo tempore sollicitum LEONEM vidimus, ut vel quæ erant decreta perficerentur, vel a S. Congregationis Patribus adjicerentur ea, quæ ad majus literarum incrementum opportuniora videbantur. Hinc summa ac vere regia liberalitate Chirographum signatur, quo statutus census Archigymnasio traderetur: hinc amplissimum, & Urbis hujus dignitati proprium rei Veterinariæ cultoribus domicilium decernitur: hinc quatuor jam firmatis Collegialium doctorum cœtibus quintus adjungitur Philologicus, iisque omnibus potestas datur & sententiam ferre de re literaria ipsis propria, & se peculiaribus honoris vestibus ornare: & emerita Professoribus stipendia concedere: & Philosophicas Laureas, & Technicas Scholas statuere, & rectam studiorum methodum decempedatoribus, mensoribus ædificiorum, aliisque præscribere, omnibus tandem denegare præmia Matriculas Laureas, nisi arduo periculo scientiarum facto, peritiam probaverint. Sed longum esset, vosque defatigarem, Auditores, si omnia persequi oratione vellem, quæ LEO Pontificiæ Regioni, & huic præsertim Archigymnasio beneficia

contulit ad literarum ac bonarum artium incrementum, splendorem Urbis, subditorum felicitatem, ut merito Principis consultissimi famam existimationemque sibi conciliasse dicamus.

Divini Spiritus sane sententia est: *multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum, & rex sapiens stabilimentum populi est* (*Sap. 6. 26.*): cum igitur LEO literarum ac bonarum artium patrocinio & doctorum virorum augere numerum, & juvenes ad scientiarum amorem præmiis allicere, & a Pontificia ditione ignorantiæ tenebras arcere curaverit, Terrarum orbi salutem, firmamentum Reipublicæ, & sibi consultissimi Principis famam certe voluit comparare; & tamdiu vivet LEO gloriæ celebritate, grataque posterorum memoria immortalis, quamdiu literis & bonis artibus & decus, & nomen, & laudes manebunt.

Hæc quæ nobis propria ac domestica pene sunt commemoravi, Auditores, ea innumera silentio præteriens, quæ veluti Supremum Ecclesiæ Caput, vel Pontificiæ Regionis Princeps præclarissime gessit, quæque Eum Italiæ, Europæ, Universis Catholici Orbis Principibus, immo & a Religione nostra alienis admirandum reddiderunt. Nec tantam profecto nominis gloriam detrahere perversorum hominum temeritas unquam poterit, Auditores; inveniri quidem tradit historia barbaras gentes, quæ cum adversum sibi Solem arbitrentur, ejusque calorem fastidiant, dextera eum jaculantur; fuere quidem hac ipsa in Urbe mordaces homines, qui scurriles versus, & epigrammata dicacitatis plena victorum hymnis miscerent; verum cum nec illi contra splendorem Solis ruentes quid possent, nec horum vis expers consilii vel triumphatoris quadrigam sistere, vel a triumphantis corona

frondem valerent avellere, ita nec LEONIS XII. gloria obscurari, nec præclara in nobis facinora minui, nec Ejus apud posteros fama paucorum conviciis poterit retardari. Et utinam cita mors Eum non abstulisset! Utinam Ejus frueremur præsentia, Ejus non fuissemus patrocinio destituti!

Verum DEUS Optimus Maximus Pontificem Sanctissimum eo voluit æterno affici præmio, quod brevi Pontificatus spatio, plurimis tamen meritis sibi promeruerat: & sicuti Ambrosius Theodosium Magnum in funere laudans animo finxit quasi interrogatum ab iis, qui illi in Cœlis occurrerant, quid egisset in terris, Imperatorem fecit respondentem: Dilexi; ita LEONEM puto penetrantem in Cœlos occurrentibus Angelicis Spiritibus ac interrogantibus respondere.

LEONI occurrunt Angeli, & quid interrogant in terris regnans egisti LEO? Dilexi: Ecclesiam dilexi commissam mihi, quam monitis, literis, legationibus, pietatis virtutumque omnium exemplo dirigere, amplificare, & ad rectam vivendi regulam studui revocare. LEONI occurrunt Sanctissimæ Pontificum Animæ, Eumque singuli certatim interrogant, quid egisti, quid egisti, LEO? Dilexi: dilexi subditos Pontificio imperio, quibus vectigalium partem donavi, quorum provincias a latronibus expurgavi, quorum saluti, & incolumitati prospexi: dilexi pauperem, quem, ut minus Reipublicæ onerosus esset, utilem reddidi: dilexi ægrotum, ad quem, ne ad animam & ad corpus opportuna ei deessent subsidia, intempesta nocte inopinatum accedere in deliciis habebam: dilexi justitiam, iniquitatem odivi, pro qua infinitæ propemodum devorandæ mihi fuere molestiæ: Te dilexi, Domine, & decorem dilexi domus tuæ,

Sacras Aedes vel dirutas incendio, vel ætate labentes instaurando, vel decorando ornamentis, vel redditibus augendo; & tamquam publicæ felicitatis, & utriusque Reipublicæ firmamentum literas bonasque artes dilexi, quibus & ad omnem humanitatem informarentur cives, veritatis notitiam attingerent, veritatem ipsam tuerentur. Certamen bonum certavi, servavi fidem, reddituram mihi confido justitiæ coronam a Te, Domine, cujus Vicariam in terris pro viribus licuit gerere potestatem.

Oh Sanctissima anima Parentis optimi! Oh consultissimi Principis anima dulcissima! Utinam dum Altaria fragranti fumant odore, dum funduntur preces, dum offertur oblatio, eam DEUS, quam Tibi mœrentes precamur requiem concedat! Sed quis quæso, Auditores, LEONEM XII. Pontificem Optimum Maximum æterna frui beatitate non speret? Si enim pietati, si Religioni, si in reliquos homines charitati amplissima a DEO statuta sunt præmia: si eam, quam quis felici virtutum auspicio duxit, nova in Coelis excipit vita bonis omnibus cumulatissima; quis amplius LEONIS mortem illacrymabitur? quis potius illi jam adquisitam beatissimam immortalitatem non gratulabitur? Quod cum mihi persuasum omnino sit, Auditores, propterea existimo in hac luctus acerbitate animos tandem excitandos, certissimaque spe esse erigendos. Dum enim universi Civium Ordines lætitia gestiunt, dum aer ipse, læto plausu resonante, agitatur dolendum nobis amplius non est; jam equidem Christiana Respublica, jam Pontificia regio a sacro Cardinalium Senatu habuere, quo gravissimo vulneri sibi ipsis illato facillime mederentur. Et quid profecto, Auditores, sperandum non erit a Beatissi-

mo Pontifice PIO hujus nominis OCTAVO? quid literarum ac bonarum artium cultores spondere sibi non poterunt de Principe rebus atque usu peritissimo, Scientiarum amore clarissimo, omnigena eruditione præstantissimo? O Princeps honorum omnium voto optatissime, Te DEUS Optimus Maximus sospitet in longum ævum atque fortunet! Tibi literæ optimæque artes decus præsidium firmamentum credunt, in Te earum cultores talem PII, & LEONIS successorem se invenisse gloriantur, qui tantorum Principum vestigia sequens, literis bonisque artibus subjectarum gentium felicitatem, splendorem Urbis, Religionis defensionem confidens, & Tibi consultissimi Principis famam existimationemque promerearis.